

ANN. XVII - FASC. X

MENSE OCTOBRI MCMXXX

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR. TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

prodidit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulæ pretio italic. libell. 2.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 375 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 750, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVII

Romae, Mense Octobri MCMXXX

Fasc. X

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis anni. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite* mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

XX EXEUNTE SAECULO

A VERGILII MARONIS INTERITU

PARTHENIAS.

CARMEN VERGILIANUM.

Urbis ad occiduas vergens extenditur oras
collis, Pausilypon graeco quem nomine dicunt,
quippe fugat tristes hominum de pectore curas
vatibus inspirans molli nova carmina clivo,
quae veterum longe superent modulamine cantus
Sirenum, gratos illis prope littora nautis,
quos fuit expertus navi religatus Ulixes.¹
Annua enim spectantur adhuc certamina vatum,
qui fingunt patrio sermone canenda per urbem
concursu populi Septembri mense quotannis,
qui ruit immensus tota per compita nocte
visurus sacratam Natae Virginis aedem;
concentus varius sequitur clangorque tubarum,
quae stringunt aures, somnosque avertere tendunt,
perque vias currus lychnis sertisque parati
deducunt pueros alterna voce canentes:
sic remanent urbis veteran vestigia morum!
Mite solum, ver assiduum, Karitumque repostae

¹ Vulgo: Piedigrotta a Napoli.

dicuntur cunae, Elisii et florentis imago,
 cui large Pomona dedit sua munera terrae;
 hic olerum genus omne viret totumque per agrum
 bis laetae segetes et poma ex arbore pendent;
 pinguibus adnexae frondescunt vitibus ulmi,
 ruraque sparsa rosis, herbis et olentibus horti
 spectantur propter sinuosi littoris oram
 Parthenopes, vitrei quos aequoris adluit unda,
 delicias optatas eliquat undique caelum!
 Huc ideo venere duces regesque soluti
 curis et gratam sedem petiere frequentes;
 hic sua conspicui coluerunt otia vates,
 e quibus ille Maro cineres nomenque reliquit,
 qui docuit bene res antiquae laudis et artis
 Ausoniae populos et cultis gentibus orbis
 pascua, rura, duces cecinit bis mille per annos.
 Musa, mihi memora, genuit quem Mantua vatem,
 et mea florentem studiis gratissima tellus
 Parthenope tenuit gremioque exceptit alumnum,
 cui placuit merito positum instaurare sepulcrum,
 adspira et decurre meum comitata laborem,
 quo simul in praesens paullo maiora canamus.
 Post casus patriaeque vices variosque labores,
 Mantua quos perpessa fuit vicina Cremonae,
 quae fuit aerumnis simili sociata tumultu,
 finibus exactus patriis spoliatus et agris
 non multum abfuit, hostili quin ense periret.
 Trans flumen fugiens venit peregrinus in Urbem,
 fretus et Augusti clypeo meliora recepit
 praesidio vatum seu Maecenatis amici
 praetulit ipse situm, quo non praestantior alter
 Sirenis cuius nomen de nomine duxit,
 Parthenias fuit et nostra quoque dictus in urbe,
 quam legit sponsam dilecta matre relictam,
 vivere qui posset bene culta per otia vitam,
 qua Staseas docuit, sapiens fuit ille Marinus,
 Partheniusque simul Nicenus ab urbe vocatus,
 Syronis domus et studiis celebrata magistri,
 quos omnes iuvenem tradunt audisse Maronem.
 Sic florens laurus praegnanti visa parenti
 crevit ad exiguae Nymphae Sebethidos undas.
 Artibus hic graecis studuit pariterque latinis,

quae praecepta mathesis, quae medicina pararet,
 quaeque forent ad naturam spectantia rerum,
 hic penitus didicit sub tot tantisque magistris,
 quo bene dicta fuit MAGNAE SPES ALTERA ROMAE
 surgere, Tullius ut princeps testatur orator.
 Abdita naturae inspiciens arcana docetur,
 ut magus ac vates sapiens habeatur et idem;
 rumores vulgi refugit strepitumque viarum,
 et securae quaerit amata silentia vitae,
 ambulat occultus ne qua ratione notetur
 tecta petens vicina viae si forte repertus.
 Italiae decus ille et nostrae gloria gentis
 rura peragrans quae Felix Campania iactat,
 hic legit, didicit, docuit, quae mira docemur.
 Primus oves cecinit patulae sub tegmine fagi
 pastorumque vices, sortes, variasque figuras
 commemorans Augusti munera et otia Divi;
 necnon quae cecinere afflati numine sacro
 de puero venturo, et quae Cumaea Sibylla,
 quemque modum fuerit positura laboribus orbis
 sedibus haec nova progenies demissa supernis,
 ut novus ordo saeculorum numeretur ab ipsa.
 Post quae cura boum et pecorum, qui cultus habendus
 frugibus ac apibus quanta experientia parcis,
 artis opus quod nobis aurea protulit aetas
 nostro exculta solo sermonis gemma latini.
 Denique bella ducum et Troyae post fata labores
 atque pium cecinit nostras qui venit ad oras
 ex alto repetens magnae primordia Romae,
 Augusti gentem et praeflarum nomen Iulii;
 ast opus incepit mansit pae funere vatis,
 qui moriens iussit totum simul igne peruri,
 quod vetuit Princeps, ne tot monumenta perirent,
 integra sed voluit saeclis servata futuris;
 itaque digesta in duodenam volumina restant
 per Tuccam Variumque eiusdem vatis amicos.
 Alma parens vatum, studiorum notaque sedes,
 cultrix antiquae virtutis et artis avitae,
 Tyrrheni regina maris quae iure vocaris,
 inter et Ausoniae urbes clara, incede superba,
 te memorare manet laudes et funera vatis,
 qui artes doctrinasque tuis e fontibus hausit,

cuius ab interitu viginti ad saecula currunt.
Multum, Parthenope, debes hic fascibus ortis,
qui patriae splendorem augent et iura tuentur,
viribus usque novis revocant monumenta vetusta,
quae inter Vergili numerantur busta Maronis.

I. CACACE,
Presb. Neapolitanus.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De substantivis quae eleganter in aliā orationis partem migrant.

Eleganter in adiectivum migrat nomen substantivum quo significatur:

1º ubi pugnatum fuerit, aut illustre quiddam factum sit; v. g.:

Bellum *actiacum* (=ad Actium) — Victoria *salaminia* — *Cannensis* calamitas — Praemia *avaricensia* (Caes., *De Bel. gal.*, VII, 47, 7).

2º unde sit aut persona aut res de qua sermo est; v. g.:

Trasymachus *chalcodonius* (=ex Chalcedone) in honore magno fuit (Cic., *Brut.*, 8, § 30).

Adest Phylarchus *Halunitinus* (Cic., *De Suppl.*, 46, 122).

Ephyreia (= Ephyrae, Corinthi) aera (Verg., *Georg.*, 2, 463).

Sarrano (= Sarrae, Tyri) dormiat ostro (Verg., *Georg.*, 2, 506).

3º ex qua materia aliquid sit, et, in universum, quae et qualis sit persona, aut res; ² v. g.:

¹ Cfr. fasc. sup.

² Huiusmodi adiectivum saepe locum tenet;

a) genitivi subiectivi; v. g.: *Civilis* (= civium) clamor (Liv., III, 28, 4). — *Vitia aliena* (= aliorum) (Cic., *Ep.*, X, 4, 4).

Opus non defuit, quum vas nullum fieret nisi *aureum* (= ex auro) Cic., *De Sign.*, 24, 54).

Homericus (= Homeri) Ulixes (Cic., *De Leg.*, I, 1, 2).

Dant sese in fugam istius praeclari imperatoris *nocturni* milites (Cic., *De Sign.*, 43, 95).

Campestre (= per campum) iter (Caes., *De Bel. civ.*, I, 66, 4).

II. — Substantiva quibus locus, ordo, seu successio in spatio vel tempore significatur, fere in adiectivum migrant, etiam substantive positum. Item nonnulla substantiva abstracta, quae vel pronomine reddi possunt; v. g.:

In hac insula *extrema* (= extremitate) est fons aquae dulcis (Cic., *De Sign.*, 53, 118).

Mento *summam* (= summitatem) aquam attingit, siti enectus, Tantalus (Cic.).

Cohortem in *medios* hostes inducit (Sall.).

Fortem facit *vicina* (= vicinia) libertas senem (Sen.).

Extrema pueritia miles fuit (Cic., *Pro Leg. Man.*, 10, 28).

b) genitivi obiectivi; v. g.: *Dictatoria* (= dictatoris, in dictatorem) invidia (Liv., XXII, 26, 4). — *For midinem suam* (= sui) iniicere (Cic., *Verr.*, II, 3, 28, 68).

Tunc adiectiva sequi potest pronomen relativum, cuius antecedens sit genitivus, qui in adiectivum migravit; v. g.: *Veiens* (= Veiorum) bellum, quibus... (Liv., II, 53, 1). — *Servili* (= servorum) tumultu, quos... (Caes., *De Bel. gal.*, I, 40, 5). — *Nostrum* (= nostrī, mei) consilium, qui noluerim (Cic., *Ep.*, I, 9, 13).

Illud *extremum* (= extremitas).

Ius aequabile (= aequabilitas iuris) (Cic.).

Una (= unitas) domus, *communia* (= communitas) omnia (Cic.) — *Falsis magna* (= magnitudines; honores) nominibus placent (Sen.).

Idem (= serenitas) vultus (Cic.).

III. — Certa pronomina substantivorum locum tenere videntur.¹ At rectius dicitur substantiva tunc subaudiri; v. g.:

Ad altiora *quaedam* (= negotia) et magnificentiora, mihi crede, nati sumus (Cic.).

Haec (= hae rationes) refelli possunt (Cic., *Tusc.*, I, 33, 80).

Illa (= facta) tandem num leviora censes, quae declarant inesse in animis hominum divina *quaedam*? (Cic., *Tusc.*, I, 24, 59).

IV. — Substantivum abstractum eleganter transit:

1º in infinitum; v. g.:

Recusabas *imperare* (= imperium) (Pi.). Bona *largiri* (= largitio bonorum) liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur (Sall.).

Quaedam scire (= cognitiones) magis iuvat quam prodest (Sen.).

Oderunt *peccare* (= peccatum) boni virtutis amore (Hor.).

2º in supinum; v. g.:

Stultitia est *venatum* (= ad venationem) ducere invitos canes (Plaut.).

Cicero quinque cohortes *frumentatum* (= ad frumentationem) misit (Caes.).

Filiam *nuptum* (= nuptui) M. Livio dederat (Liv.).

¹ Pro substantivo specifico et adiectivo « nullus », saepe usurpatur « nihil », etiamsi agatur de personis. Negatio sic magis eluet.

Ex : Qua pugna *nihil* (= nulla pugna) adhuc est nobilis (CORN. NEP.). — Ita tibi persuadeas *nihil* (= nullum hominem, neminem) te carius mihi fuisse (Cic.). — Poēma facit ita concinnum, ita elegans *nihil* (= nullum poēma) ut fieri possit argutius (Cic.).

Acer est *gustatu* (= gustatione) caulinus (Plin. sen.).

3º in gerundium, aut gerundivum seu adiectivum verbale; v. g.:

Taedum vivendi (= vitae), metus *moriendi* (= mortis) (S. August.).

Accerrimus ex omnibus nostris sensibus est sensus *videndi* (= visus) (Cic., *De Or.*, 2, 87).

Erudiunt iuventutem *venando* (= venatione), *currendo* (= cursu) (Cic., *Tusc.*, II, 14, 34).

Mores puerorum se inter *ludendum* (= ludum) simplicius detegunt (Quint., I, 3, 12).

Prohibenda est vis in *puniendo* (= punitione) (Cic.).

Me auctorem fuisse Caesaris *interficiendi* (= intersectionis) criminatur (Cic., *Ep.*, XII, 2, 1).

Iuri et legibus *cognoscendis* (= cognitioni) studere (Cic., *De Rep.*, V, 3, 5).

Omnis *loquendi* (= locutionis) elegantia augetur *legendis* (= lectione) oratoribus (Cic.).

Liber de *contemnenda* (= contemptu) morte (Cic.).

4º in participium coniunctum:

a) seu praesens; v. g.:

Sol *oriens* (= ortus) et *occidens* (= occasus) diem noctemque conficit (Cic., *De natur. deor.*, II, 40, 1, 5).

Hostis nostros *metuens* (= metu nostro- rum) fugit.

b) seu perfectum; ¹ v. g.:

Angebant virum Sicilia Sardiniaque *amissae* (= amissio) (Liv., XXI, 1, 5).

¹ Non autem participium futurum activum quod, apud optimos auctores, nunquam sine verbo « sum » non usurpatur. Proinde ne dicas: « Mamercus tyran nos adiuturus (= in adiutorium) venerat (C. N.) » Sed, pro participio futuro activo;

a) aut propositione utere, quae coniunctioni « quum » subiicitur et participium cum verbo « sum » includat; v. g.: *Quum apes iam evolaturaे sunt* (= apes iam evolaturaē), consonant vehemente (VARR.).

Sibi quisque *caesi* (= occisionis) regis expetebat decus (Q. C.).

Quotiens fidem *mutatosque* (= mutationemque) deos flebis! (Hor.).

Homerus fuisse ante Urbem *conditam* (= conditionem, creationem) traditur.

Syracusis *expulsus* (= post expulsio-nem). Corinthi pueros docebat (Cic.).

5º in participium absolutum; v. g.:

Ipsius hortantibus (= ipsorumhorta-tione) (Caes., *De Bel. Gal.*, VII, 20).

Praedae tantum fuit, quantum *capta* *Carthaginē* (= in captu Carthaginis) (Liv.).

Omnium rerum natura cognita (= co-gnitione naturae omnium rerum), libera-mur mortis metu (Cic.).

Caesare et Pompeio trucidatis (= post trucidationem Caesaris et Pompeii) (Flor.).

V. - Ii quorum actio non durat et con-ditio mutatur saepe, non nomine substanciali, sed participio designantur; v. g.:

Legentium (= lectorum) plerisque (Liv., *Praef.*, 4).

Adest fere nemo quin acutius atque acrius vitia in *didente* (= oratore) quam recta videat (Cic.).

Solet esse gravis *cantantibus* (= can-toribus) umbra (V.).

Romulus vetere consilio *condentium* (= conditorum) urbes, asylum aperit (Liv.).

Multae bestiae *insectantes* (= insecuri-tores) odoris intolerabili foeditate depel-lunt (Cic.).

Videmus progredientem Aiace multa cum hilaritate, quum depugnaturus esset cum Hectore (= depugnat-urum cum Hectore) (Cic.).

b) aut participium praesens usurpa; v. g.: Grues, quum loca calidiora *petentes* (= petiturae) maria trans-mittunt, trianguli efficiunt formam (Cic.). Hamilcar in Hispaniam *proficiscens* (= profecturus, ante profec-tionem), Carthagine Iovi optimo maximo hostias immo-lavit (C. N.).

Participium perfectum et adiectivum verbale non indiscriminatim usurpantur, ut videre est in exemplis quae sequuntur: Dux urbe *defendenda* magnam glori-am sibi parere studuit. Dux urbe *defensa* magnam gloriam sibi peperit gloriam. Pro recuperanda libertate pugnare. Pro recuperata libertate Deo grates agere.

VI. - Nomen substantivum quod dic-tionem adverbiale, ut aiunt, efficeret ac-formaret, non ineleganter in nudum ad-verbium transit; ¹ v. g.:

Persapienter (= magna sapientia) dat ipsa lex potestatem defendendi (Cic., *Pro Mil.*, 11).

Cupidissime (= magna cupidine) op-pe-tere (Caes., *De Bel. Gal.*, I, 40, 2).

Attentissime (= magna attentione) au-dire (Cic., *De Orat.*, I, 61, 259).

S. Leonardi in Helvetia.

J. Iss.

DE POLYCHROMIA IN STATUIS

« Polychromiam », eam nempe artem, vel (et fortasse rectius) morem illum et ritum, quo simulacra, statuae, signa quae-vis exculta coloribus insuper pingeren-tur, fuisse apud Graecos passim, et tradi-tum est, et idem quae Athenis, Delphis, Olympiae effossa sunt monumenta testan-tur. Non h̄c ergo quaestio utrum fuerit; sed potius tempora, quibus primum coli-copta sit, et in ritu fuisse quaeremus.

At, circa polychromiae originem, re-meandum credo ad ipsa Graecorum artium primordia, ubi scilicet primum ali-quid sive ligno, sive topho, sive creta dolatum est; ideoque attingimus primordia gentis. Quae quum ex Aegypto cum Ra-messe Danao migrasset in Graeciam, populis constans Iudeis quae Lacedaemoniam, Indicis quae Ioniam, Aegyptiis quae reliqua incoluerunt, mores ab iis transtulit regionibus, unde veniebat. Itaque, quum et apud Aegyptios et apud Indos, uti adhuc

¹ Praeterea, substantiva abstracta quae alterum substantivum abstractum in genitivo regunt, in ad-verbium migrant, quoties ille genitivus in verbum convertitur; v. g.: Ad *beate* (= beatitudinem) *viven-dum* (= vitaē) (C., *Tuso.*, 5, 5).

in monumentis eorum videre est, mos il-lieniendi simulacula coloribus invaluisset, nil mirum si Graeci hunc retinuerint inde abeuntis; quem ritum tamen, quo magis ab exitu illo aberant, et eo minus colebant; perfectionis apicem in optimis artibus po-stea adepti, nihil aliud inde retinuerunt, praeter id, quod non modo optime conciliaretur cum arte, sed arti sculptoriae adiu-mento esset, et signa aspera intuentibus deliniret. Quum tamen color, abeuntibus annis vel pallescat, vel nigrescat, vel eva-nescat, necesse erat, iuxta ipsius elementa coloris, aëre faciente, vel quotannis, vel singulis lustris necessario colores instau-rare, praeter ea, quae in delubris victimarum fumo, et fumo thuris et aromatum pallebant. Sacerdotibus igitur hoc munus erat, et ideo statis diebus, ut Macrobius, ni fallor, ait, « simulacrum Iovis minio inungi illinique solitum »; et ideo etiam noster Horatius:

*Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Aedesque labentes Deorum, et
Foeda nigro simulacra fumo.*

Haec pro certo scimus, in templis fuisse perpetua, et quadam necessitate cogente; si vero consideraverimus sacerdotes tena-cissimos antiquissimorum fuisse morum semper; si consideraverimus necessitatem instauracionis huius iugiter redeuntem non modo in ea, quae sub dio, sed etiam in ea quae sub tecto simulacra servabantur, cognoscemus quid sentendum de poly-chromia sit iuxta originem, quid insuper sequenti tempore iudicandum.

Septimo ante Christum saeculo, quae ligneis antea sculptura et creta utebatur, molle lapidum genus adorta est, tophum dico, cui et coloris causa lapidi inhaeren-tes, et ad perfectionem quoque operis pictura ferebatur non modo idonea, sed vel necessaria. Qui vero autem ad tophum Graecos fuisse conversos, marmoribus sa-bnigrante colore fuscati sunt, et barba, supercilia, labia rubricata apparuerunt;

pris resisterent quibus uterentur, eos er-rasse et errare credo; nam et apud Aegyp-tios et apud Indos invenimus durissima porphyretica, et granitica (ut aiunt) optime sculpta, ne quid de lapidibus, quae intra pretiosos lapides adnumerantur, feram; scimus autem, ex reliquiis, eos in hisce scalpendis usos fuisse quadam ignota nobis mixtura ahena, quae durior ipso chalybe nostro esset; quinimo ex ipso arma con-flata, quae haud quidquam chalybi vel op-timo cederent hodierno.

Et uti res magis Aegyptiana, magis Indica (date veniam verbis) appareret, ani-madvertisendum est hosce colores non sequi, non distribui iuxta imitationem rerum, quae sculpturis exprimebantur, ita ut non-nisi vestes flavis, rubris, caeruleis, viridi-bus operirentur, vultus vero manusque candidis, roseis delinirentur, ferme unice rubro et caeruleo omnia velarent pictores, opportunitatis et veritatis incuriosi. Qui quidem mos et in anaglyptis servatur, iuxta Hetruscorum ritum vasculorum, decoratis pictura, et, rectius dicam, distinctis. Itaque aut figurae caeruleae sunt rubra in area, aut rubrae figurae sunt in caerulea.

Hac disciplina ad quingentesimum an-num et vicesimum circiter ante Chr. n. perventum est, qua aetate nobilissima in marmore materies, atque haec aptissima scalpendis data statuis fuit, quae tum quia mollior, tum quia obediens magis, tum quia fingendis apprime vel delicatissimis respondebat, omnes visa est proferre nu-meros, neque a sculptorum manibus inde dimota, aut reiecta. Tunc autem, quum pulcherrima materies esset, indignum vi-sum est omnino eam picturis abscondere; credo etiam ambitione aliqua scalpentium non fuisse coloribus opertam prorsus, scili-cet ut appareret in quo saxo periculum fie-ret, et etiam ne cum ligneis ac tophaceis confunderetur. Capilli hic flavo quadam

subnigrante colore fuscati sunt, et barba, supercilia, labia rubricata apparuerunt;

oculi pupilla nigro emicuit. Cingula, fibriae vestium, orae alicuius ornamenti participes factae sunt, sandalia et ligamina horum modo purpura discrevit, modo colores, quibus acu interpungebantur de more. Eadem de peplis, eadem de manicis tunicarum, eadem de zonis, quibus tunicae ad latera stringebantur. At si minor usus, multiplex color; nam rubro et caeruleo additus niger, et quoniam aperta via ambitioni est, brevi, ut in republica solet, irruptit aurum et scintillare coepit inter colores. Ne autem candor marmoris nimium strideret, offendretque oculis eminens a coloribus nimis, quodam liquamine seu unguine delubra sunt marmora nuda, et ita candor molitus.

At quo magis ars excellentibus crebat artificibus, eo minus polychromiae spatiū relinquebatur, quasi ipsi artifices nolent laborum suorum opus invidia picturæ velari. Quinto hinc et quarto ante Chr. saeculo polychromia languescit brevi moritura, et quamvis aliquid adhuc praebeat, nec sine laude in metopis Olympici Iovis, in Mausolæo operoso Alicarnassi, in sarcophago, qui Alexandri Magni dicitur in Constantinopolitano museo, morientis haec voces habendæ sunt potius, quam triumphantis ac dominantis.

Fateor etiam post Christum aliquid polychromico simile exstisset, repertis in effossione sarcophagi, quorum in figuris certa auri signa apparerent; scimus et alia simularca, pariter auro delinita fuisse tum Augusti aetate, tum circa, et antea scilicet et postea; sed has auri deductiones ad ostentationem divitiarum potius arbitror factas, quam ex lege sculptoribus imposita.

Neque aliter dicendum est de signis ahenis quae adhuc supersunt, de equestri Marci Aurelii statua in Capitolio, de Hercule in museo Vaticano. Auro quidem adoperta erant, ut nonnullis in partibus Aurelianum illud Augustum adhuc, omnino auro operitur Hercules, at... quanta

pulchritudine singula vel minima emergunt in aere, quæ fortassis latebant sub auro, aut, nisi latuissent, certe ob auream coruscationem non optime distinguebantur!

Nunc aliquid mihi dicendum de optatis quorumdam, qui rursum inducendam polychromiam in statuis tueri putant, mirabile nescio quod inde sperantes; fortasse viventis personæ imaginem pulchrae et realiter adductam. Esto quid sit futurum; at nihil inde arti; nam nos ideo statuas miramur, quia lapideæ sunt; viventes non miraremur. «Omnia præclara, rara»; proverbiū vetus; neque enim admiratione percellimur videntes a Providentia Dei tot miriades animantium quotidie ali; miramur autem quinque hominum millia in deserto a Christo nutrita. Insolita miramur; ab assuetis non fit passio. Ita et in statuis. Immo addam: non sine quodam stomacho aspiceremus haec simulacra suis distincta coloribus; crederemus viventia a longe videntes; propiores facti videremus demorta, cadaveribus similia. Ars omnia perdet, industria artificis delusione operiretur; dum in marmoreis ars et industria eminent, et quae eminus marmorea putantur, minus viva apparent et ferme spirantia quae vultu, quae actu præferunt.

Ne retro gradiamur, quæso! Colores pictoribus, marmora sculptoribus relinquamus. Prope divinum quiddam illi facient si in levigata et aequa tabula profunda dabunt, eminentia edacent; divinum isti prope facient pariter si ex muto saxo, et gelido, et inanimi, cupiditates, animos, vitae actionisque calorem et prope sonantia animis verba extrahent scalpi sedulitate, genii virtute.

G. P.

*Qui finxit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos; qui colit, facit.*

MART., VIII.

EMMANUEL BONILLA¹

Videbamus magnas difficultates et plagaſ animi et corporis nobilissimum Emmanuelis Bonilla animum deiicere aut ab incepto armorum cursu deterrere non valuisse; unde autem rara illa virtus, nisi quod purus erat idemque piissimus?

Etenim tam erat iuvenis noster religiosus ac pietatis officiis iam a pueris deditus, ut, quum ad matuorem aetatem pervenisset, illum e media coenobiorum sanctitate prodiisse dices. Quid iam eum tam firmum in adversis, tam strenuum et alacrem in suscepta religionis causa, tam constantem in propositum sibi metam persequendo, miramini?

Nullum excurrere passus est diem, quin Beatissimæ Virginis Mariae rosarium recitaret, eoque, ut innumeris testantur, erat fervore, quo alios succenderit, eaque modestia, quæ intuentum oculos caperet.

Nec minus sanctissimi et eucharisticæ Corporis Domini colendi studiosus fuit. Escendere solebat quotidie, antequam officiam adiret, sacrarium, dulcissimum Hospitalis visitaturus; nec primum labori manus applicabat, quam eiusdem ope ac benedictione esset recreatus. Est in manibus oratio in concione ad iuvenes habita, quam, quum legimus, sacri cuiusdam concionatoris orationem legisse videmur. Passim haec aut similia verba in suis privatis militiae commentariis, de quibus alias mentionem fecimus, inscripta vidimus: «Dominica dies, quarto idus Mart.: — Utinam mihi Sacro interesse liceret ac mensae caelestis pane refici! Quandonam, mi Iesu, huius animi ferventi desiderio benignus annues? — Diligo te, mi Deus; en quanta pro Te libenter fero! Pro te in hac nova

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Maii.

vite disciplina discrucior; pro Te haec arma cepi....»

XVII kalend. Mai. ante lucem ingens armatorum vis, omni bellico apparatu instructa, ad ipsos, quos rebelles, sive «Cristeros» appellant, comprimendos delendosque praemissa, locum pertingit, ubi tum «Christi Regis Agmen» ad praelium ineundum comparabatur. Ad montium fauces hoc constiterat, ac loci asperitatibus ac nemoribus erat protectum; cautumque sic a catholicis fuerat, ne a tergo hostes adoriri eos possent. Simul ac duo acies in conspectu fuere, pugna conseritur: catholici, aequitate ac sanctitate causæ; illi numero et armis confidentes; hinc fortitudo, illinc audacia; hinc veritas, illinc error. Diu stetit anceps utrinque Victoria, imo et secundæ Christianis copiis res succedere coepant, quum iuvenum quorumdam inopia disturbari primum ordines incipiunt: tum hostis, animadversa re, acrius urgere, ac maiore impetu premere; denique fugata ac dissipata Christiana iuventus, partim scandunt montes silvisque consistunt; Urbis alii rectum iter captant; ipse vero Emmanuel loco paulisper cedendum putavit, cito posse ratus ad suos reverti exercitusque reliquias colligere.

In hoc vero spes eum fetellit; nam equo celeriter vectus, hora fere quinta matutina, in fundum magnis cuiusdam divitiis pollutis viri pervenit. Subdolus pravusque herus, quum eos profugos novisset, facta comitate, prosequitur ac blanditur; et occultatos nomine et ornatu «pecudum mercatorum», domi suae leniter exceptit; mensas strui iubet; conquisis epulis assidere eos facit; multo deinde sermone hinc inde tracto tempus consumere nititur. Illi vero non prius perfidiam hominis detexere, quam se undique interclusos milite viderunt; praeerat sicariis dux quidam «Urbalejo» nomine; hic religatos eos tradidit militibus custodiendos. Non multo post in ipsa nequissimi heri rheda «Tolucam»,

municipii civitatem primariam, devehuntur.

Eorum causa militari tribunalis committitur, quod iniuria copiam sibi illos iudicandi adrogarat, et ab eodem capite plectuntur. Iniuria, dixi, illos perduellionis iudicavit; nam, ut deinde compertum est, dux iniquus, spretis iussis, quibus devinctos reos deducere Mexicanum oportebat, causam ipsorum sibi et tribunalis a se creato commisit, eosque morte mulctavit; cupidus enim erat vesanus miles pecunias surripiendi, quas secum Emmanuel habere, nescio quomodo, subintellecerat. Ceterum se hoc crimine facilissime purgavit dux nefarius, ad se simulans nuntium sero fuisse delatum.

Si «dulce et decorum est pro Patria mori», quid vero pro Iesu Christi sanctissima religione? Quid pro Christi Regis amore et triumpho? Emmanuel Bonilla pro eiusdem Ecclesia ac Regno obiit. Nam ab inconsultis iudicibus gratiamque ambitionis suo duci facientibus raptim condemnati, eodem die in agrum rapiuntur invicti Christi Regis milites, ubi confici debebant. Urbalejo ipse in rheda cum sicariorum manu servabat eos. Ubi ventum est in praedium *La Marquesa* dictum (non procul ab historico monte *Las Cruces*) ibi iubentur occidi.

Emmanuel tum accessisse ad ducem supplicem ferunt, et ut prorogaretur sibi mortis tempus expostulasse: «Liceat — inquit — filio postrema dilectissimae matris oscula atque amplexus dare; liceat et miserae matri filium antequam necetur, videre animatum». Negavit impius miles et pecuniae cupidus. — «Saltem — suggerit Emmanuel — spatium mihi orationi tributatis, rogo». Conceditur. Tum ipse cum assecula in genua ante Deum procubuit, rosarium manu tenens, et se suaque omnia, matrem Matri caelesti et Filio suavissimis precibus commendat. Holocaustum se offert pro libertate Ecclesiae sanæ Dei, pro

pace, ac pro Patriae salute. Tum demum socium idoneis documentis confirmat: fortis ut sit fidusque in Deo, Patre omnium longe amantissimo, hortatur: «Caeli, — inquit, — mente, quo statim triumphantes recipiendi sumus». His caritatis et pietatis officiis peractis, placido ac sereno vultu consurgit et qua primum sibi offertur charta, appinxit: «Terrenis penitus rebus inanibusque curis laxatus homo, nihil iam desiderat, nisi his corporalibus custodiis liberari, ac Deo arctissime coniungi. Cupio iam dissolvi et aeo sempiterno et pace et otio frui diuturno».

Dein brachis crucis ritu expansis, infixisque in sicarios luminibus: «Vivat Christus Rex! — magna conclamat voce. — «Pro Te, Deus, morior»!... et ipse cum socio concidit glandibus confossus ignitis.

Incidit ejus nex ante diem xvi kalend. Maias, feria vi Sanctioris Hebdomadae, eademque fere hora, qua Rex regum de cruce pendens regnabat, animumque Patri pro universo hominum genere exhalabat.

Ingemuit vicinorum circumstantium turba indignam speculata mortem. Atque ut caesos eos viderunt, moerentes ferocem ducem alloquuntur; corpus rogitant eius, quem sacerdotali munere auctum putabant. Ea enim in claro iuvene enitebat modestia ac religio, quae rudes etiam trucesque sicarios teneret atque moveret; adeo ut miles quidam fertur abiecisse arma inclamans: «Nunquam, ego, mehercule, adducar, ut insolente conficiam Patrem».

Nolebat dux corpora concedere; non nihil tamen mercede adlectus, accolis postulantibus illa tradidit sepultura honestanda.

Fama autem celer et facti rumor piae ac flebilis matris non multo post aures attigerat. Nuntio tristissimo prius dolore paene confecta est et animo fracta mulier, martyris postea parentem se cogitans vi-

resque omnes colligens, operam non sequiter navare instituit, ut nati corpus concederetur. Perdifficile maiusque viribus opus aggressa videbatur, plerisque frustra aientibus aurum lacrimasque eam rependere, minime destitit, sed multis lacratis, supplicationibus, auro denique multo filii corpus redemit.

Die itaque certo in locum designatum advolat cum minoris natu filio et «Salubritatis Collegii» medicis. Refodiunt tumulum xv a morte die, eoque patesfacto cadaver incolume, imo succi et sanguinis plenum ac placidissimo vultu quasi quid divinum spiraret, reperiunt. Prodigium mirantur omnes, eoque magis, quod socii corpus putidum vermbusque scatens ea parte quam Emmanuelis cadaver tangere, conspexerunt. Abiecta igitur supellectile ceterisque medicis confectionibus, detrahunt tumulo corpus, purpureum sanguinem manans, qui recentia intinxerit lintea.

Referunt deinde corpus in carpento, secundo cursu domum suam mater reportasse. Ibi composito tumulo beatos impunit artus pretioso conditos feretro, ubi totam illam diem omnium lacrimis atque moerore, nisi potius gaudio, mors eius decoratur.

Altera luce, detractum feretro corpus in communis plebis sepulcreto componunt.

Ingens et consentiens christiana plebis, bonorumque omnium de Emmanuelis eximiis virtutibus atque pretiosa morte adest praeclara opinio. Omnia autem hoc uno Sacrae Scripturae verbo videor completi posse praeconia: «Fuit magnus secundum nomen suum; maximus in salutem electorum Dei: Expugnare insurgentes hostes, ut conquereretur haereditatem Israel».

I. G. NAVARRO, S. I.

¹ Eccl., XLVI, 1-2.

DE EUCHARISTIAE CULTU APUD VETERES CHRISTIANOS¹

Alia Eucharistiae representatio ex picturis deducitur, quae turbarum prodigiosam epulationem, prandium iuxta lacum Tiberiadis effingunt.

Panum multiplicatio vices et octies in Romanis coemeteriis depicta conspicitur; semel tantum in Alexandrinis Aegypti catacumbis. Eam primum coemeterii S. Callisti parietes produnt, atque ita cum aliis compositam symbolis varioque modo, ut nihil ea clarius possit in picturarum representationibus inveniri. Ibi enim symboli processum quemdam, seu, ut nunc aiunt, evolutionem quamdam videre est. Etenim in cubiculo A³ nomine vulgo distincto tripus piscem inter duos panes cruciferos sustinens conspicitur, ad cuius latera septem referta panibus canistra disposita sunt; nempe tria hic, illic quatuor. Profecto, nisi de eucharistia agitur, quidnam huiuscmodi figura representet, prorsus ignorabitur. Eucharistiam autem ibi significari ex panum multiplicationis commemoratione, quam canistra suggerunt, colligitur; quid autem tripus interpretandum exhibeat, id mox videbimus: piscem vero quem sustinet ac panes corporis esse Christi figuram haud est dubium.

In cubiculo A³ item eucharistica symbola apparent, sed mirum in modum inter se composita. Ad dexteram enim parietis medii est Abrahae sacrificium, quod uti eucharisticum symbolum considerandum est. Namque si, ex omnium Patrum sententia, crucis sacrificii figura hoc ipsum Abrahae sacrificium fuit, nihil aptius hic depingi poterat, quum ex dispositione illud, sacrificij cruenti instar, sacrificio

mystico opponatur. Est enim in altera parietis parte tripus pisces ac panem cruciferum sustinens inter viri et mulieris figuram. Vir, pallio Graeco coopertus, manus pisci admovet, quasi eum apprehendere velit; mulier vero manibus expansis orat. Interpretatio obvia sane est; nempe tripus altare reprezentat, cui adstat sacerdos: mulier vero orans anima defuncti est atque sacrificii effectum adumbrat, scilicet aeternae beatitudinis adeptionem, quam quidem in Missae sacrificio et hodie sacerdos impetrat, et quae ipsis in epitaphiis significatur et petitur. Non videtur ab hac represtatione panum multiplicationis cogitatio esse aliena, sicut aliena non est a quodam titulo in S. Agnetis oemeterio reperto, qui unius piscis unius-ue panis effigiem prae se fert. Hoc in asu, quemadmodum clarissimus vir Ios. Wilpert est ominatus, sacerdos ipse esset christus.

Alia est huiusmodi imago, in qua Christo panes multiplicanti mulieris orantis adstat effigies, quaeque haud dubie animam defuncti significat. Itaque necesse non est novam in symbolis coemeterialibus mentis cogitationem inducere, ut picturam istam interpretemur; namque orantis figura nunquam in catacumbis Ecclesiae personam significat, actumque quo Christus panem et pisces multiplicavit, consecrationis symbolum evasisse pro certo habendum est.

Ceterum hanc significationem confirmat convivii species in medio depicta, id est inter cruentum et mysticum sacrificium. Ibi enim septem personae discubentes apparent circa stibadium, ante quod octo numerantur canistra panibus referta; denique duo pisces appositi sunt. Quod octo, non autem septem, canistra conspiciuntur, id vel errore, vel ex industria, symmetriae causa, certo evenit. Est igitur rursus turbarum refectionis cogitatio a pictore expressa, proindeque dupli-

¹ S. AUGUSTINUS, *In Ioan. tract.* 132; *P. L.*, XXXV, col. 1966.

interpretati sunt, quod est Jesus Christus Filius Dei Salvator, piscis in sua passione decoctus, cuius ex interioribus remediis quotidie illuminamur et pascimur... Christus intelligitur per pisces,... qui caecato lumen reddidit Paulo (Act. 9, 18) satians ex se ipso in littore discipulos et toti se offerens mundo *ἰχθύν*.⁴

Denique praefatae omnes picturae naturam suam eo etiam ostendunt, quod symbola resurrectionis aeternaeque remunerationis praecedant. Ut enim clarissimus Wilpert ait, in Evangelica doctrina et Christianae fidei compage, eucharistia et vita aeterna duae sunt conceptiones animi inter se prorsus haud dissolubiles; ita ut qui de una loquatur, et aliam significet quasi necesse sit. Sic, exempli gratia, in *Doctrina XII Apostolorum* haec habentur: « Tu, Domine omnipotens... cibum potumque dedisti hominibus ad fruendum, ut tibi gratias agant; nobis autem largitus es spiritualem cibum et potum et vitam aeternam ». ²

De resurrectione autem, uti compertum est, idem dicendum. Ita Irenaeus: «Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur?... Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et caelesti; sic et corpore nostra percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia». ³

His omnibus ceteri Patres concinunt, itemque omnes liturgiae, denique ipsa Iesu Christi verba.

In tanta igitur documentorum concordia, monumenta etiamsi nonnisi obscurius agnoscerentur, circa significationem discrepare haud praesumendum esset: atqui, uti vidimus, quam maxime secum et cum documentis consonant.

S. S.

DE INITIIS ET DE PROGRESSU REI CATHOLICAE
INTER GENTES IAPONIAE¹

Ne Iapones quidem potuere in perpetuum suis arcere finibus nova novorum temporum instituta, aut ceterarum nationum consuetudines negligere. Frimus omnium Perry, nauta Americanus, a. 1853 naves bellicas appulit ad Iaponum insulas, paratus etiam vim inferre clausis adhuc terrae portis. Inviti illi et tergiversantes aperuerunt; sed ut erant prudentes, brevi intellegere coeperunt multa sibi, nisi cedere vellent omnibus, ex terris soli subditis occidenti afferri oportere novarum artium commoda.

Sed iam antequam cum navibus Perrius venisset, Christi praecones denuo conati fuerant in Iaponia locum capere. Nam in Europam nuntiatum erat ad Philippinas insulas delatos esse piscatores Iapones ornatos signis Christianis. Inter alia, *Agmus Dei* apud illos viderant. Tum vero Missionariorum animi ad illam terram trahebantur. Forcade, seminarii Parisiensis alumnus, anno 1844 venerat in insulas Lyukyu, quae ad meridiem vergentes tum imperio parebant Mikadonis. In ipsam Iaponiam ingredi non potuerat.

Iaponiae aditus primum patefactus est
Missionariis anno 1858, quo anno Galli,
facto foedere cum Iaponum principibus, hoc,

S. PROSP. AQUIT., *De prom. et praed. Dei*, c. 2, 39; *P. L.*, LI, col. 816.

² *Doctrina XII Apostol.*, c. X, ed. FUNK,
p. CLXIII.

³ S. IRAENEUS, *Contra haeres.*, lib. IV, c. XVIII; *P. G.*, VII, col. 1027 et seq.

¹ Cfr. fasc. sup.

impetrarunt, ut in trium urbium portus suae admitterentur naves. Illae urbes fuerunt Yokohama, Nagasaquum, Hakodate. Itaque exente anno 1864 Nagasaquii medioris exstructa est ecclesia, quae hodie cathedralis est illius episcopi. Deo dicata est anno postero, xi kal. Martias. Et iam signum crucis ex summa illa ecclesia fulgebat, sed Missionarios singulis diebus haec habebat sollicitudo, essentiae adhuc Christiani in illa terra, et ubi essent, et qui invenirentur. Adhuc religio nostra proscripta erat, nec quidquam imminentum erat eius legis severitas, ut nihil esset reliquum, nisi ut Dei freti providentia exspectarent.

Eodem anno xvi kal. Apriles ad ecclesiam accedunt quindecim fere homines, viri et mulieres liberi: se videre velle ecclesiam. Missionarius dicit intro, dicit ad aram maximam, ubi aliquamdiu flexis genibus a Deo lumen precatur suis hospitibus. Sed dum precatur, tres mulieres, sexagenariae fere, iuxta eum procumbunt, ex quibus una, voce adeo depressa, ut ne parietes audirent, vereri yideretur, et manu admota pectori: — «Omnium nostrum qui adsumus corda talia sunt, quale cor tuum est». Et ille: «Ain tu», — inquit —, «et unde venistis?» — «Omnes nos Urakamenses sumus — est Urakami vicus in agro Nagasaquo — omnium fere Urakamensium corda eadem sunt atque nostra». Et priusquam sacerdos ad reliqua pergeret, illa mulier: «Sanctae Mariae imago ubi est?» Hic iam nullus dubitandi locus: Missionarius intellexit Christianos esse homines. Quam sibi beatus visus est quum id, quod quinque annos fuisse sollicitus, tam praecclare oblatum esset! Neque vero Christiani minus beati fuerunt. Peregrinum hominem et alienigenam ut filii redditum, patrem amplexi sunt.

Is dicit ad aram Virginis; quum conspissent statuam, incredibili motu laetitia ultro exclamat: «Haec vere est sancta

Maria; videte super eius brachium alnum puerum Iesum». Et blande se fidei committentes sacerdotis multa interrogare coeperunt de Deo, de Iesu et Maria, de Christi natali die. Hic unus ex iis: — «Nos diem Domini nostri vigesimum quintum mensis brumalis agimus; acceptimus enim illa nocte in tugurio natum esse. Pauperem fuisse et multa passum esse accepimus, annos natum triginta tres nostri servandi causa in cruce esse mortuum. Et hi dies tristitiae sunt. Quid vos? Nostisne et ipsi haec instituta?» — «Enimvero novimus», — inquit sacerdos, — «et hi dies primi sunt tristitiae» — quo illi nomine ieunii quadragenarium ferebant. — Etiam Joseph, patrem Iesu nutritium narrabant.

Itaque hi cruce, quam ex antiquis temporibus cognoverant, ad redditam sibi Ecclesiam perduci sunt. Post Urakamenses etiam ex aliis civitatibus venerunt, qui, quum nulli sacerdotes essent, nulla tempula, per ducentos quinquaginta annos contra persecutorum furorem religionem Christi servaverant. Quinque certe insulae, non longe a Nagasaquo sitae, totae fere adhuc catholicae erant. Et Urakamenses quidem, ut veram Ecclesiam agnoscerent, ubi imago esset. Deiparae interrogaverant. Alii, ne errarent in verae religionis Missionariis, sic percontantur: — «Suntne terrae vestrae incolis eadem corda, quae Romanis? Misitne vos magnus ille princeps, cuius in urbe Roma sedes est?» Ad extremum vero suppudenter addunt: — «Non vos habetis liberos?» His Missionarius: — «Nobis Deus vos et fratres vestros, Iapones universos, dedit filios. Alios filios non habemus; nam sacerdotes non aliter, quam pristinos Missionarios vestros, caelibem debent agere vitam». Tum illi gestientes laetitia et tacta frontibus terra: — «Quantum affertur boni! Caelibes sunt hi! Caelibes sunt hi! Priusquam enim illa ecclesia Nagasaquii absolveretur, Angli-

cani ibi parvam ecclesiam erexerant. Christiani igitur Urakamenses conspecta cruce ad visendum venerunt. Anglicanus ille humanissime exceptos invitavit, ut redeant cum uxoribus et liberis, magnopere interesse suae uxoris illorum uxores cognoscere. Hoc audisse illi satis habebant. Digrassi nunquam reverterunt.

Nunc autem veros patrum suorum successores invenerant. Sed eius gaudii ne magistratum in se verterent oculos, nullum in publico dare licuit signum, quia etiam tum per leges vincula et mors manebant eos, qui ausi essent nomen dare Christo. Et vere iam, quae apud ecclesiam Europaeorum gerebantur et agrestium Urakamiorum commeatum ministri publici speculati erant. Idcirco mense Iulio eiusdem anni 1865 omnibus Iaponibus interdictum, ne inviserent ecclesiam Europaeorum. Tum magistri precum et baptistae, qui ex antiquis temporibus singulis pagis remanserant, nocturnis tecti tenebris doctrinae causa ad Missionarios ventitant. Magistratus autem, quod illo decreto parum esset profectum, maiore sibi severitate utendum rati, ex kalendis Ianuariis a. 1870 ad tria millia Urakamensium comprehensos, quum in quaestione datu magna animi prae se tulissent firmitatem, in remotiores regni provincias abduci iusserunt. Sescenti laboribus confecti mortui sunt, quorum etiam nunc extant sepulchra. Post trium annorum exilium, composita pace, redierunt. Horum confessorum posteri etiam hodie robur sunt Ecclesiae Iaponiae.

(Continuabitur).

A. AVENARIUS.

Adde quod ingenium longa rubigine laesum
Torpet, et est multo, quam fuit ante, minus.
Fertilis assiduo si non renovetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

OVID., Trist., V.

ANNALES

Nationum Societas.

Genevae supremum Societatis Nationum consilium, ac deinde coetus legatorum omnium nationum, quinquaginta et unius numero, congregata sunt; absentibus tantum Honduras civitate atque etiam Argentina, quae quidem, licet a societate publice nunquam recesserit, iam ab aliquo tempore a Genevensibus laboribus sese abstinet. Coram illis Briandus, Gallicus minister, rationem suam de «paneuropaeo» foedere explanavit ac defendit, nomine quoque septem supra viginti Statuum, qui etiamsi in aliquo argumento aliquid exceperint, favorem tamen suum principio ac rei fundamento concessere, hoc maxime proposito, nempe ut res ipsa in tutela Societatis Nationum esset et a Societate Nationum perficeretur. Novum inde Societatis Nationum officium, atque tale Briandus descripsit ac tenuit. Statutum denique est ut Briandi consilium studio nationum, quae rogationi responderunt, committeretur, ea quidem mente, ut perpendantur responsiones datae, iudiciumque proximo coetui congregando subdatur.

Ad aliud tempus pariter dilata est quaestio de discessu ab armis; vehementesque disputationes intercessere de iudicii forma habenda circa petitiones minorum partium.

In inferiore America seditiones.

Peruvianam seditionem, de qua in superiori eventuum publicorum recensione nostra mentionem fecimus, altera sequuta est in Argentina republica; repulsi hinc reipublicae praeses Irigoyen, eius ministri, centrale gubernium, legati

legibus ferendis tum apud universae nationis coetum, tum apud coetus singulorum provinciarum; imperia denique atque potestates civiles omnes a suis muneribus amota. Rebellio ex omnium taedio et adversa in publicos administros voluntate processisse affirmant, quorum quasi indicem se fecit societas quaedam ad rem constituta, cui exercitus est suffragatus. Novus pro tempore praeses, Uriburu, copiarum dux, comitia parat, a quibus sperant omnes fore, ut qui electi erunt, ad aerarii morumque civilium instaurationem vere operam navent.


Argentineae reipublicae Brasiliensis recons accessit. Ibi vero, quum gubernium resistendi vires haberet, rebellio in civile bellum transmigravit, quod pugnatur adhuc.

Ex Germania.

Comitia in Germania habita necopinatum eventum attulere, victoram scilicet factionis «socialium nationalium», quos nuncupant, cuius princeps recens electus fuerat Hitler doctor, et est in consiliis retractatio Youngiana de solvendis debitis rationis, atque ipsius Versaliensis foederis; civili prudentia primum obtinenda, deinde etiam mediis aliis. Non mirum igitur si commoti animi inde fuerint, et aliqua trepidatio de futuris eventibus accesserit.

Quinam hi reapse futuri sint, tempus indigitabit.

POPULICOLA.



Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. ST. KROP..., Pozarevac in Jugoslavia.
— Quod sciām, Sienkiewicci latine reddita tantum est fabula, cui titulus: *Anthea*, sive *Eamus ad Ipsum*; idque a desideratissimo magistro nostro Petro Angelinio factum fuit.

A SECRETIS.

¹ EX MAFFEO. — Cfr. fasc. sup.

VARIA

Sinarum mores.¹

Annum a lunariis periodis duodecim ita (Sinae) conficiunt, ut tertio quoque anno ad duodecim unam addant. Principium a Martii mensis novilunio auspicantur. Eum diem publica hilaritate, natalem quisque suum privata gratulatione concelebrant; munera sibi et sportulas invicem mittunt; apparatissimis dein epulis, noctu praesertim, exquisitissimi interponunt ludi. Comoedias et tragoeidas exhibit sumptuosas, vel fabulis in praesens a poëta confictis, vel actionibus e veteri historia repetitis; petauristae, aretalogi, praestigiatores, mimi non desunt; parietes fornicesque viridi fronde, micantibus rosis et pretioso peristromate vestiuntur; fragrant odoramentis ac floribus viae; accensis fuminalibus ac lanternis arbores, pergulae, fenestrae colludent; nervorum pulsu, tibiarum vocumque concentu omnia personant.

Conviviorum ratio est talis. Invitantur multi; propria singulis mensa, aut sumum binis, apponitur ex ligno ad instar ebeni splendidissimo, variis sylvestrium maxime rerum figuris, ac certis linearum ductibus (quo in genere Sinae admodum excellunt) capreolatim ex argento vel auro discurrentibus. Ea pictura nitorque pro mappa est; serica frontalia dein ad humum usque dependent.

Convivae fucatis concident cathedris, praemolli, ut apud eos, culcitra ad gratiorem quietem obductis.

Inde elegantissimi primum canistri serviti redimiti, onusti baccis pomisve, toto margine disponuntur. Intra id veluti septum, admirabili structura ceterae exsur-

gunt dapes; quumque sagina omnis generis, ferina aequa ac domestica, et piscibus ostreisque, et cunctis ferme illecebris et condimentis abundant, suilla tamen praecipue caro summorum pariter et infimum expetitur mensis; neque ex alio ullo animali copiosior ganea.

Cibos digitis attractare (ut sunt vulgo munditiarum diligentissimi) rusticitatis putant; bracteatis paxillis, vel argenteis aureisve fascinulis concisa minutum frusta in os inserunt. Exiguis poculis crebro haustu sedant sitim, et magno cum honore verborum mutuo sibi propinant. Miro interim silentio atque ordine lances ab atriensibus inferuntur; et in singula fercula mensae instrumentum omne mutatur. Haec separatim viri; ac matronae item seorsum (quae maritorum zelotypia est) eodem apparatu in penetralibus conviantur.

Salutandi ritus, inter plebeios eiusmodi; laevam in pugnum compressam obtengunt dextra; ambas dein pectori saepius admonent, et simul, accommodato ad gestum sermone, demonstrant, amicum sibi conditum haerere in medullis. At primores, brachiis arcuatim extensis, ac digitis utriusque manus implexis, identidem sese ad terram usque submittunt; certantque verborum officiis inter se, uter posterior, honoris causa, quiescat.

**

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Poculum iuris domestici.

Pasta vermiculata, latice et pullinis extis condita.

Astaci frixi, oleraceis spinaciis circumliti.

Tergum suillum assum cum solanis tuberosis.

Acetaria ex lactucis novellis.

Tiara ex castaneis saccaro crustatis, spuma lactis repleta.

Iocosa.

TUCCIUS sapientiae suaे periculum agit.
Interrogat MAGISTER:
— Ecquid nomen terrae, quam rex gubernet?

TUCCIUS (aliquantisper meditatus): — Regio.

Item.

TUCCIUS (historiam Romanam repetens): — Plebeii tunc in Montem Sacrum recessere.

MAGISTER: — Ubinam gentium Mons Sacer attollitur?

TUCCIUS: — In Asia.

MAGISTER: — In Asia?!

TUCCIUS: — Scilicet ubi Moysi tradita a Deo est lex duodecim tabularum.

**

Aenigmata

(a socio TH. GARRIDO proposita).

I.

Prima-secunda viri vultum gravitate decorat;
praeposita extremae nominat una feram.
Tertia ab urbanis petitur, bacchatur ut aestas,
atque hominum totum dicit agreste genus.

II.

Pars hominis vultus appetit tertia-quarta;
praeifice eis primam, tempus adestque breve.
Primam deme, precor, toti, mi lector, et imam,
dignaque res divo prostat honore coli.
Denique, si cupias quid sit cognoscere totum,
res notat egregias egregiosve viros.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) A-li-pes; 2) Ar-ca-nus.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

AD SEPULCRUM [8]

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

III. Iesum vidisse multi saepe praedicant!¹
 Oh! vos qui testes fuistis, o milites,
 Nobis secure quod vidistis, dicite!
 MIL. I. Cur vobis vidimus quod, vultis dicere?
 MIL. II. Enim magna in nos irruit confusio.
 MIL. III. Iam, iam, nescimus loqui nos quid
 [fuerit.

CIV. I. Vidistis ergo?
 MIL. I. Quid?
 CIV. I. Nempe discipulos,
 Eius furentes corpus?
 MIL. I. Sed in somniis!
 CIV. II. Nihil vos, milites, dixistis?
 MIL. I. Perperam.
 CIV. I. Eo vos miserunt custodire, milites?
 CIV. II. Sed si vidistis...
 CIV. III. Cur vestris vos gladiis
 Illinc discipulos non repulisti illico?
 CIV. II. Nec tenuistis?
 CIV. III. Nec terruistis modo?
 CIV. I. Si non fecistis... criminis participes,
 Incuriae poenam saltem vos solvite.
 MIL. I. Imo dedere magnam vim pecuniae,
 Suos si dicemus modo discipulos,
 Et nostris oculis vidisse perfidos...
 CIV. I. Estis mendaces pessimi, periurii!
 MIL. I. Eum suis humeris sustulisse clanculo...
 MIL. II. Quid interest autem nostrum de
 [cetero?
 Nostrum concrescat dummodo mar-
 [supium...
 MIL. III. Hoc unum cogito pulcre negotium.
 MIL. I. Hoc ipsum docet primum nos Tibi-
 [rius.
 CIVIS I (ad suos) Audistis praedicant quod
 [isti milites?

¹ Militibus accidentibus.

Inane est hominum pravum menda-
 [cium.

Iuvat sed auribus nostris accipere,
 Passim quae Scribae, Pharisaei effu-
 [tiunt.

SCENA XI.

ANNAS, CAIPHAS ALIIQUE curiosi...

ANNAS Cives Ierusalem, rerum quae novitas,
 Huc vos frequentes actuosos congre-
 gat? Vultis vos scire quid novi nunc acci-
 dit?

Putatis illum nuper qui nos detulit,
 Suisque illusit verbis et mendaciis,
 Exisse vivum de sepulcro denuo?
 In magno errore vos versari fateor!
 Quis e sepulcris rediit de patribus?
 In aevum perit semel qui concidit!
 CAIPH. Et ille passus crucis qui nuperius,
 Suo nunc excessit fato tetrico;
 Nec unquam nostrum respirabit aë-
 [reim.

CIV. I. Suum sed corpus...

ANN. Tulerunt discipuli!
 CAIPH. Et ipsi milites fatentur admodum
 Vidi...

CIV. I. Dormientes? At incuriae
 Eos cur capit is vos non mulctabitis?...
 Surrexit Ipse!

ANN. Surrexit? Adpareat!
 Christum se dixit redempturum popu-
 [lum,
 Iam tempus palam quo se revelet
 [adest! CIV. II. Manent in sepulcro modo sudaria,
 Veste, abluendo vesunque corpori.

ANN. Si surrexisset...